

puritas; imò sacra testimonia multa credibilia nimis, id est, digna creditu, fidelia, fixa, & firma mirum in modum; quibus obarmantur Virgineæ immunitatis sapientissimi propugnatores, quales Jesuitæ.

APPENDIX.

Pro Religiosis aliis Clericorum familiis.

1941 **D**laudandi hinc erant, suisque formandi coloribus, pro modulo nostro, & erga omnes studio, alii Religiosi Clericorum Ordines, apprimè sancti, apprimè sapientes; nempe Theatinorum, Bernabitarum, Somascorum, & Minorum Clericorum. Scio, & probè scio, à singulis hisce Familiis, multam sumptuosamque suppeditari elogiorem materiam; sed cum non benè percalluerim proprium uniuscujusque institutum, & specialia merita, satius judicavi, linguato silentio laudationes premere, memor illius decantatissimæ Philonis sententiæ, Vera bona ex se ipsis naturaliter vocem mittunt, etiam si sileant; nam nec sol, nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero invidiu, ab altera noctu Mundum universum illustrari; sed ipsi suo splendore fidem, vel absque teste, faciunt oculis. Scilicet laude digni non indigent laudantium vocibus, sed intuentium oculis, etsi multis nominibus laudabiles sint. Sacramento non vacat quod Moyses observavit Genesis primo, versu quarto, Vidit Deus lucem quòd esset bona. Quasi non Dei linguam, sed oculos habuerit laudatores; ut enim Ambrosius advertit libro primo Hexam. capite nono, Plus est quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur. Sui enim vitur testimonio, non alieno suffragio. Religiosæ illæ Clericorum Familiæ quasi fulgentissima Ecclesiæ luminaria sunt, & venustissima lux, quibus tota præsertim Italia, non avarè fulgorum largitate, summpere illuminatur. O utinam similiter Hispania nostra, & universus terrarum Orbis! nam sic exaggeratius spectatorum visu & adnutu prædicarentur. Nihilominus tamen lubentissimè Panegyristam illarum agerem, si debitè imbueret notitiâ: inscientiæ culpa sit, non affectus, qui nullum Religiosorum cætum illaudatum vellet omittere, eos vel maximè, qui nostro Jesu Sodalitio, & habitu ipso, & instituto, tantopere sunt affines, nec non impensè ad dicti.

1942 Unde putaverim, in has omnes Clericorum Familias verissimè, & bellissimè cadere, quæ de exaltatione Christi, ac Deiparæ gloriosissima in nostra Societate speciatim expendimus ad illud: Quasi Platanus exaltata sum, educata, nutrita, evecta juxta aquas in plateis. Variè enim Jesu & Mariæ gloria exaltatur, educatur, nutritur, atque evehitur in illis, & per illas, juxta singula illarum instituta, & studia, quorum nullum non in Marianam potissimum immunitatem flagrantissimum, dilaudatissimumque. Sic omnes ejusdem sententiæ sunt, idem omnino prædicantes, docentes, atque scribentes; dum eximias Virginis prærogativas enumerant, evulgant, & in omnium animis altè imprimere contendunt. Quò refert illa Deiparæ verba apud Salomonem Cantic. primo,

Philo de Sacrificio Abel.

Genes. 1. 4.

S. Ambros.

vers. decimo sexto. *Lectulus noster floridus.* De lectulo loquitur, non Christi tantum, sed suimetipsum requiete securissima, jucundissimaque. *Manet enim Christus in eo, qui diligitur; sed qui diligit Filium, diligit Matrem, & ita uterque manet in eo, qui diligit alterum, ut verbis utar Hailgrimi in locum.* Sed quidnam florido lectulo portendatur, scire operæ pretium est. *Claustra existimo esse* (ait Bernardus sermone quadragesimo sexto,) *& Monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi.* Similiter Honorius Augustodunensis. Hunc suum commendat lectulum Virgo; hanc sibi, Filioque suo quietem amat in floribus gratissimam; floribus, inquam, gratiarum, virtutumque omnigenis, quibus vernant Religiosorum habitacula, eximiam undique aspirantem suavitatem ad quietem, & exaltationem Christi ac Deiparæ gloriosissimam. Unde Chaldæi translatio verbis consonans Ecclesiastici proximè datis: *In tempore, quo tu habitas in lectulo nostro dilecto, filii nostri multi sunt super terram, & crescimus, & multiplicamur sicut arbor, quæ plantata est juxta fontem aquarum* (Platanum videtur indigitarè,) *cujus folium pulchrum est, & fructus ejus multus.*

1943 Dum de numerosa Religiosorum clericorum prole in florido Monasteriorum lectulo habita gloriatur Magna Dei Mater, id profectò in magnum Christi sui, sui que ipsius cedere incrementum, piè jactabunda profiteatur: atque eo modo se, suumque Filium crescere, & multiplicari in hisce Religiosis Ordinibus ostendit, quo Platanus crevit & multiplicatur juxta fontes aquarum: aquæ enim sanctimonie & doctrinæ limpidissimæ eò utique spectant, ut limpidior Jesu & Mariæ gloria apud omnes nutriatur, educatur, evehatur. *Surrexerunt filii, & beatissimam prædicaverunt.* Prov. 31. 28. Cum aliis veritas ex Hebræo: *Creverunt filii, & beatificaverunt, aut ditaverunt illam, vel passivè, beatificati, ditati sunt.* Quasi mutua sint & laudantium Virginem Religiosorum, & ipsiusmet Virginis commoda: cum enim illi laudibus Mariam beatificent, & ditant, beatificantur similiter ipsi, ditanturque vehementer. Videntur id sublimiori ratione præstare quod Xerxes olim Platani amator, umbræ, quam aureo monili, multoque item auro & argento, atque pretiosa veste ornavit, ditavitque, teste Eliano libro secundo de Varia Historia capit. 14. Huc revocanda quæ de Platano in Marianæ immunitatis, & nostri Sodalitii expendimus sectione proximè antelapsa.

MORALIS ILLUSTRATIO.

SECTIO XLIV.

Ea est castitatis præstantia, ut Deum ipsum mirificè exaltet, & suos ipsa cultores deificet, immortales, & incorruptibiles reddens.

1944 **M**oralis hæc Thesis resplendet in illis verbis, *Sicut Cedrus exaltata sum in Libano.* Certè perquam meditè prædicatur corporatorum Verbum exaltari

Libanus, id est, candor, candidus. in Libano. Ut enim in enodatione textus habes, *Libanus* perinde est atque *candidus, albus, sive candor, & albedo;* quo & castitas, & castitatis cultores typicè designantur. Sicut ergo Cedrus in Libano in tantum excrescit, ut ad cælum pertingere videatur; ita Incarnata Dei Sapientia in candore castitatis, pudicitie albedine, & candidissimis puritatis amatoribus, gloriosissimè exaltata demonstratur. Cumque unum de Cedri præconiis sit perpetua viriditas, incorruptibilitas, & quasi æternitas quædam, quam & ipsa habet, & aliis adeo largè communicat, ut defunctis pro vita sit, (uti ajebat Plinius) & Græcè appelleretur *νεκρῶν ζωῆς*, id est, *mortui vita;* inde fit, ut quasi Cedrus exaltari dicatur Christus Dominus in pudicitie studiosis, quatenus eos deificat, divinæ suæ immortalitatis & incorruptibilitatis participes efficiens non nisi per Castitatis vigorem, quæ eos perungit, quasi Cedrino oleo ad immortalitatem. Rectè Palacios hic: *Cedro convenit immortalitas. Christo convenit melior immortalitas, quàm Cedro. Et quia Christus quod habet, dat, ideo immortalitatem dat suis.*

1945 Canticorum 1. 16. sic Sponsum Jesum purissima ejus Sponsa Amœveo commendat carmine. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus: Lectulus noster floridus, signa domorum nostrarum cedrina.* Preme prius verborum vim. LXX. vertunt: *Ecce es bonus, & quidem speciosus.* Ubi boni vocabulum non mentis tantum denotat ornatum, sed corporeæ figuræ magnitudinem, & proceritatem, ut primo Regum 9. 2. de Saule dicitur. *Electus, & bonus: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Hebræa vox *naim*, quæ pro decorus, subest, significat etiam gloriosus, præclarus, electus, procerus. Unde planè existimo, de eximia Christi altitudine, de gloriosissima ejus exaltatione sermonem esse; promde Chaldæus effert: *Quàm pulchra est Majestas sanctitatis tuæ.* Sed unde, quæso, sic procerus, sic gloriosus & splendidus apparuit? Certè non aliunde, quàm ex lectulo geniali, sive cubiculari sponse thalamo usque adeo florido, & amœno, ut proclamet ipsa: *Lectulus noster floridus.* Hebraicè, *frondosus, viridis:* id est, collatis floribus, herbis, & frondibus ornatus, conspicuus. Porro, flores cum sint Virginitatis & castitatis symbolum, ut Guaricus Abbas sermone quarto de Assumptione ajebat: *Floribus fulciuntur castitatis:* perbellè hinc Origenes Homilia secunda ex duabus in Canticis existimavit, per lectulum hunc floridum & frondosum designari *Castitatis virtutem*, quæ tota florida est, tota amœna, tota suaveolens: in qua Deus securè, pacatè, ac jucundè quiescit: & à qua procerus, gloriosus, & splendidus assurgit, *tanquam sponsus, tanquam Gygas Deus de thalamo suo.* Benè hoc fit: quid subinde? Subdit Sponsa: *Tigna domorum nostrarum cedrina.* LXX. *Trabes domorum nostrarum Cedri.* Ex Hebræo, benè pensitat originalis vocis significatione, & Syrichaldæi radice, concinnè transferas: *Victoriæ, coronæ domorum nostrarum cedrina.* Vel etiam; *operimentum feretri cedrinum.* Sive Vulgati lectioni adhareas, ut par est, sive his applaudas translationibus; nihil occurrit, quod non immortalitatem

Libanus, id est, candor, candidus.

Plin.

Palacios.

Cantic. 1. 16.

LXX.

1. Reg. 9. 2.

Chald.

Guaric.

Pf. 18.

LXX.

spiret, quod non abigit corruptionem. Dominus genialis lectuli ex impurabilibus lignis, coronæ, & feretrum ex eadem incorruptibili materia. Sic debuit præmuniri, & exornari floridus pudicitie & castitatis thalamus; ut portenderentur immortalitas & incorruptibilitas, quas suis ipsa insluit cultoribus. Immortalis domus est, prodeca caro est lutea, & corruptioni obnoxia: immortales coronæ sunt, & gloriæ æternæ: ipsummet feretrum, quo mortui effertur solent, ex cedro impurabili est, quæ defunctis pro vita, & mortui vita est. Quasi mors non mors castis & pudicis sit, sed ipsa vita eos æternans, & ab incorruptibilitate vindicans. *Operimentum feretri cedrinum.*

1946 Exodi decimo tertio, v. decimo nono, de Moyse egrediente ex Ægypto, & per vastam eremum progrediente dicitur: *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum.* Quærit hic sapienter sanctus Iidorus Pelus. libro quarto, Epistola centesima quinquagesima septima, qua ratione stare hoc possit cum lege sic cavente Leviticis vigesimo primo, v. undecimo. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino.* Num Moyses legillator legem violat? Respondet verè & argutè Moysis personam allumens: *Non violo, non solvo legem; sed per hoc ostendo rem ipsam, quæ per Scripturam, ac verba legis significatur, diligenter esse attendendam.* Ego enim eum, qui castitatem coluit, pro mortuo non habeo. Fuit Joseph magnus pudicitie cultor, fuit castissimus Joseph: unde illi mors non mors, sed vita. Et si mortuus loculo videatur effertur, mortuus non est, sed adhuc superstes, adhuc immortalis, & incorruptibilis vivit. *Qui deducis velut ovem Joseph, canebar Regius Vates Psalmo septuagesimo nono, v. primo, in Bibliis Regius legitur: Velut arca Joseph. Sua ipsi erat pudicitia pro loculo cedrino in illi assilaverat, immortalem assilabat vitam. Unde noster Siracides capite quadragesimo nono, vers. decimo octavo. Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Alii vertunt: *Ossa illius visitavit, vel respexit Dominus.* Neque aliter prophetasse Josephi ossa Pallacios arbitratur, quàm aliquid quem mortuum vivificando, aut languidum sanando. Sic enim de mortuo Elisæi corpore dicitur prophetasse, quando mortuum ad vitam revocavit. Ecclesiastici quadragesimo octavo, v. decimo quarto. Quis sic prophetat, qui mortuis vitam inspirat, quomodo mortuus erit? quomodo non adhuc vivit, & immortalis est? *Operimentum feretri cedrinum.*

1947 Cantic. 5. vers. decimo quinto. Ut Sponsa Sponsi sui divinissimi certa signa, ex quibus posset agnosci quantus ille esset, ita proclamabat: *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* Pro electus, est Hebraicè *Bahur* per *Heh*, id est, decorè procerus, sublimis. Sed cur potius speciosus ut Libanus? cur procerus ut Cedri? Scio Libanum esse inter omnes montes speciosissimum, amœnissimum, sublimissimum: scio, Cedris abundare procerissimis perpetuæ viriditatis. Cæterum, quæ hæc pulchritudo, & proceritas ad Christi pulchritudinem & proceritatem commendandam.

Cantic. 1. 16.

Hailgrin.

S. Bernard.

Chald.

Prov. 31. 28.

Elian.

Operimentum feretri Cedrinum.

Exod. 13.

Josephi mors non mors, sed vita, quia per castitatem immortalis. S. Pelusio.

Pf. 79. 1. Sua Josephi pudicitia pro loculo cedrino in illi assilaverat, immortalem assilabat vitam. Unde noster Siracides capite quadragesimo nono, vers. decimo octavo. Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt. 18.

Palacios.

Cantic. 5. 15.